PRÆFATIO.

INcidi nuper in Censuram quandam, quam R.P. MARINVS MERSENNVS, libro quem de Reflexionibus Physico-mathematicis inscribit; quâ, de subtilissimo opere R.P. GREGORII A Sto. VINCENTIO è Societate IESV, quod nuper summâ omnium admiratione applausuque prodiit, quid sentiret, palam euulgauit. Scripto eam amicus quidam comprehensam, huc transmiserat, cum librum ipsum æquè commodè non posset: quam cum quasi temerè abiectam, & veluti neglectam fortè inspicerem, famamque interim incomparabilis in Geometriâ viri viderem si non obteri, saltem apud Geometriæ non adeò peritos aliquousque obscurari, certè non negligenda penitùs res visa tum est, sed digna omnino quam scripto refellerem ego, cùm eam non magni se facere R.P. GREGORIVS satis ostenderet; vt omnibus in eam qui inciderent, fieret manifestum, iniuriâ minimè ferendâ, hominis tam bene de Geometriâ meriti incomparabiles labores, tam indignis modis contemni, ac veluti dilacerari.

Illud tamen vacillantem me, dubitantemque an responsione digna res esset, planè à sententiâ reuocauit, quod cum Geometricæ cuiusdam Propositionis mentionem faceret, à quâ tamen stabilimentum omne, qualiscumque Censura illa petere videbatur, satis officio meo facturus mihi viderer in caussâ Geometricâ, si illa ipsa tantummodo, prout expetitur, solueretur: stare enim sic suum honorem videbam Quadraturæ Circuli, quam R.P. GREGORIVS A Sto. VINCENTIO, publici iuris fecit, cùm aliam nullam difficultatem ad rem quæ faceret, hoc est Geometricam, in eâ rectè percipiendâ, sibi Mersennus conqueratur obuolutam.

Operæ pretium tamen erit Censoris verba his attexere, vt quam parum Geometricè concepta sit & expressa, in ipso vestibulo, æquus Lector intelligat.